

nus per prophetam: *Ipsi*⁶⁹ autem *regnauerunt*, sed *non ex me*. *Principes exstiterunt et ignoravi*. *Si*⁷⁰ *quis autem ignorat, ignorabitur*, id est: Qui ignorat deum, ignorabitur ab eo. *Iustitia*⁷¹ *regis exaltabitur solium eius, et in veritate solidantur gubernacula populorum*. *Regis*⁷² namque officium est, *ut subiectis*
 40 *omnibus rectoris officium procuret, et sine*⁷³ *personarum acceptione unumquemque iudicare, advenas pupillos et viduas defendere, pauperes Christi egenos ac peregrinos elemosynis alere, ecclesias dei omni sagacitate defendere, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impios de terra perdere, par-*
 45 *ricidas et periurantes vivere non sinere, iustos super regni negotia constituere, senes et sapientes ac sobrios consiliarios habere, patriam ac populum iuste et fortiter contra adversarios defendere, filios suos in timore domini enutrire et, ne impie agant, omni industria custodire, certis horis et congruis lectioni et orationi*⁷⁴ *incumbere, cibum*⁷⁵ *et potum ante horas canonicas non percipere, diem mortis*⁷⁶ *et diem iudicii cottidie suspectum ante oculos habere* Salomone
 50 *attestante, qui ait: Fili*⁷⁷ *in omni vita tua cogita novissima tua, et in aeternum non peccabis*. Non enim potest esse gloriosa victoria, ubi non *fuerint*⁷⁸ *laboriosa certamina* Paulo attestante, qui ait: *Non*⁷⁹ *coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. Corona victoriae non promittitur nisi certantibus. In divinis namque scripturis assidue invenimus promitti nobis coronam, si
 55 *vicerimus*⁸⁰. Quam coronam et gloriosam victoriam ipse vobis largiri dignetur, qui per crucem et sanguinem nos venire dignatus est redimere in terris, Iesus Christus dominus noster, qui cum aeterno patre vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

⁶⁹) Osea 8, 4.

⁷⁰) 1. Cor. 14, 38; vgl. dazu Ambrosiaster, CSEL 81/2 S. 162 Z. 8–11.

⁷¹) Vgl. Ps.-Cyprian, De duodecim abusivis saeculi c. 9, hg. von Hellmann S. 51 Z. 8 f.

⁷²) Vgl. ebenda S. 51 Z. 6 f.

⁷³) Vgl. ebenda S. 51 Z. 10–S. 52 Z. 5, mit Umstellungen.

⁷⁴) Vgl. Regula Benedicti 4, 47, CSEL 75² S. 35.

⁷⁵) Vgl. Ps.-Cyprian, De duodecim abusivis saeculi, hg. von Hellmann S. 52 Z. 5 f.

⁷⁶) Vgl. Regula Benedicti 4, 44, 47, CSEL 75² S. 34.

⁷⁷) Eccles. 7, 40.

⁷⁸) Vgl. Isidor, Sententiae 2, 39, 25, Migne PL 83 Sp. 643B.

⁷⁹) 2. Tim. 2, 5.

⁸⁰) Vgl. 1. Cor. 9, 24 f.